

§. III. Quaenam vero illa fuerit dignitas, nomen *cathe-
drae Mosis* insinuat. Huius vero nomine quid venire debeat,
non conueniunt inter se interpretes. Sunt enim I. qui pro-
prie *de materiali & ligneo* interpretantur *suggesto*, ex quo
Moses praelegeretur a doctoribus, in eo sedentibus. Ita
visum est inter alios EUTHYMIO, de quo MALDONATVS.
Sed enim recte GERHARDVS in *H. E. c. CLVIII.* *Moses*, in-
quit, *nunquam venerat Hierosolymam; nec cogitari potest, ca-
thedram aliquam Hierosolymam fuisse translataam, cui sacer-
dotes infederint.* II. Alii *μετονομαζῶς* quidem vocem acci-
piunt, non tamen vno eodemque modo. Nam LIGHTFOO-
TVS *T. II. p. 356.* *de cathedra legislatiua & politica* id intelligen-
dum esse putat, ita, vt, hac ratione, Seruator auctorita-
tem magistratus ciuilis, siue Synedrii magni, ratam facere
voluerit. Opinionem suam probaturus, affert quidem
rationes, quae tamen nihil amplius probant, quam i. in Sy-
nedrio magno *cathebras fuisse*; 2. illud suos natales *Mosi de-
buisse*; 3. diuina *auctoritate* fuisse munitum. Sed enim vero,
quod solum synedrium hic sit intelligendum, id est, quod
fuit Anglo, ceteroquin erudito, probandum. Contra ve-
ro sunt, qui III. solam *ecclesiasticam* intelligunt. TOSTATVS
enim in h. l. *Si, inquit, intenderet Christus loqui de potesta-
te iudiciaria, diceret: Super tribunal Mosis sedent &c.* Ni-
mirum distinguunt eius socii inter potestatem *docendi, &
iudicandi*, atque de illa, non hac, interpretantur. TOSTA-
TVM sequi videntur ex nostratibus, nec tamen per omnia,
B. SEB. SCHMIDIUS, in *pec. diff. de Cathedra Mosis p. 10. seq.*
& ante eum B. HVNNIVS, quorum ille, Phariseos & scri-
bas hic, non vt personas *politicas, sed ecclesiasticas*, con-
siderari, scribit, conditionate tamen etiam synedrium ma-
gnum includit. Parum abest, quin eius sententiae subscri-
bam. Praeter hos alii IV. utramque *& politicam & ecclesia-*